

cetur *ecclesiae*, ad quam pertinet beneficium — aut, si mavult Superior, *pauperibus*; in aliis casibus solum fit mentio *pauperum*.

5) Simoniā igitur nondum per traditionem rei spiritualis perfectā, per se pretium restituendum est illi, qui dedit; imo etiam crimine perfecto, sed pacto rescisso, ante judicis sententiam idem fieri *potest*: quodsi qui dedit, liberaliter renuntiaverit pretio, retineri potest, donec judex intervenerit. Ita etiam Marc I. 591.

<sup>404</sup> Brevis recapitulatio praecipuorum peccatorum gravium contra primum praceptum decalogi:

1. Diu orationem plane negligere.
2. Superstitiosas observantias exercere, vel illis multum fidere.
3. Res sacras sacrasye caerimonias vel preces ad superstitiones fines adhibere.
4. Superstitione magnetismo, aut spiritismo adhaerere, ejusve experimentis interesse.
5. Sortilegos, divinatores aut serio adire, aut quoconque modo eos adire si ipsi serio agunt.
6. Maleficium contra aliquem attentare.
7. Cultum falsum exercere, ut: ritum Judaismi, ritum haereticae sectae.
8. Reliquias falsas aliasque res falso pro sacris exhibere, colere.
9. Deum tentare seu divini attributi manifestationem petere ex seria dubitatione.
10. Idem facere ex temeritate, v. g. temere singularem Dei protectionem exspectare.
11. Contra Deum vel Santos voluntarie iram contemptumve concipere.
12. Blasphema verba vel gestus advertenter prodere (cum haeresi, cum imprecatione) contra Deum aut Santos.
13. Eorum imagines, aliasve res sacras conculecare, in sordes projicere.
14. Res Deo sacras irreverenter tractare (cf. infra de Sacramentis), furtum in eas committere, S. Scripturae verbis graviter abuti.
15. Personas Deo sacras laedere luxuria, percussione, immunitatis seu exemptionis laesione.
16. Loci sanctitatem laedere luxurioso actu, profanarum rerum indecenti clamorosaque actione, vel execratione, immunitatis violatione.
17. Rem sacram sive sacram actionem simoniace pretio temporali commutare; ad quod pertinet etiam:
18. Pro Missa aliisve functionibus sacris aliquid *ultra* legis ecclesiasticae normam *exigere*, aut *contra* legem *admittere*.
19. Mercimonium cum Missarum stipendiis exercere.
20. In beneficiis ecclesiasticis acquirendis, commutandis simoniam committere.

Hisce absolvimus tractationem eorum actuum, qui essentialiter ad virtutem religionis ejusque obligationem spectant, et eorum, qui iis ut contraria peccata opponuntur. Peccata quidem etiam alia sunt, quae *virtuti religionis* adversantur, idque ex natura sua *essentialiter*, quamquam illud religionis *exercitium*, cui opposita sunt, secundarie illam virtutem spectat. Quare hoc ipsum caput (II) eorum tractatione complendum esset. Nihilominus commodius adjungentur explicationi eorum actuum, quibus positive *secundarie religio exercetur*. Actus illi sunt votum et juramentum<sup>1</sup>. Si autem dico, secundarie eos ad religionem pertinere, id non ita intelligitur, quasi non aequa bene et perfecte sint virtutis religionis exercitium, nam non raro sunt perfectius; sed quia hoc genus actuum non ex sese ita necessario exigitur, quo religionis virtus exerceatur.

### Caput III.

#### De actibus, qui secundarie ad exercitium religionis pertinent.

De voto igitur et juramento acturi eam decalogi materiam attingimus, quae secundo pracepto continetur:

„Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum“ Ex. 20, 7; quo formaliter prohiberi perjurium, non est, cur hic probemus.

#### Articulus I.

#### De juramento.

Cf. S. Thom. II. II. q. 89 et 3 dist. 39, Suarez de relig. tr. 5, Sanchez in decal. I. 3, S. Alph. I. c. n. 133—193, Göpfert der Eid, aliosque ut supra.

Juramentum est invocatio Dei in testem veritatis. Quae quum <sup>405</sup> diverso modo fieri possit, accuratius distinguere debemus 1. naturam juramenti, 2. obligationem promissoriū juramenti, 3. obligationis iuratoriaē dissolutionem.

<sup>1</sup> Recentiore tempore Linsenmann *Moralit.* § 130, duce Probst, putavit, propriam sedem tractatus de juramento esse, quando tractetur de veritate et fidelitate servanda, quum juramentum medium sit, ea fidelius servandi. Nihilominus non duxi, deserendum esse ordinem S. Thomae omniumque veterum scriptorum, qui in juramento id consideraverunt, quod *potioris* est obligationis et *potioris* virtutis, scilicet quod formaliter ex se habet atque ex relatione ad Deum. Nam actus ille *in se* spectari potius debet, quam ut, quinam sit ejus usus, attendatur, si — quod in theologia morali fit — de diversorum actuum moralitate, de virtutis exercitio ejusve laesione disputatur. Verum etiam quando usum juramenti respicimus, principalis usus est et esse debet, actum religionis seu cultus Dei exercere, etsi proximus finis et prima occasio sumatur ex utilitate commercii humani. Omnia igitur suadent, ut tractatio de juramento in loco suo solemnī maneat, non ut transferatur.

## § 1.

*De natura juramenti.*

I. Juramentum praecipue distinguitur in juramentum *mere assertorium*, in *promissorium*, in *exsecuratorium*. S. Thom. II. II. q. 89 a. 1.

II. Juramentum fieri potest Deum invocando aut explicite, aut implicite, vid. expresse nominando creaturas. Ib. art. 7.

III. Juramentum, ut reapse subsistat, requirit et mentem seu voluntatem jurandi, et verba ad jurandum apta. S. Alph. n. 134.

IV. Juramentum ut licite fiat, debet fieri in veritate, judicio (discretione), justitia. Defectus veritatis semper est mortalis malitia, materiae parvitatem non admittens; defectus judicii per se veniale peccatum tantum est; defectus justitiae ex genere suo mortal is est, at pro diverso modo, quo justitia laeditur, materiae parvitatem aut admittit, aut non admittit. S. Thom. I. c., Suarez l. 3 c. 4 et 12, S. Alph. n. 145—147.

<sup>406</sup> **Explicatio singulorum.** Nota ad I. 1. Juramentum promissorium simul est assertorium seu invocatorium, quum Deus invocetur in testem veritatis, quod promittens habeat animum implendi quae promiserit.

2. Juramentum exsecratorium ad meram juratam assertionem vel promissionem simul addit invocationem vindictae divinae in perjurum: igitur invocat Deum 1) ut testem veritatis, 2) ut vindicem mendacii, aut etiam fidei fractae, si quid tale occurrerit. S. Thom. I. c.

3. Reliquae distinctiones juramenti accidentalem ejus formam respiciunt, ut: 1) juramentum soleme et simplex, prout caerimoniis quibusdam (a jure praescriptis) fit, aut iis careat; 2) juramentum publicum et privatum; 3) juramentum verbale, reale, mixtum, prout *verbis* fit, aut *actione externa* (contactu crucis, Evangelii, erectione trium priorum digitorum etc.) aut *utroque modo*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In regionibus acatholicis accidere potest, ut re ipsa in Suecia, America Septentr., Indiis Orient. accidit, ut in foro civili, quando necesse est, secundum leges juramentum praestetur, offeratur codex biblicus ab acatholicis editus, ad cuius tactum juramentum fiat.

Circa quod S. Congr. de Prop. F. in instructione ad Vicar. Apost. Indiae 8. Dec. 1869 haec pro praxi monuit: „... diligenter carent, ut Anglo-indicum gubernium libertatem fidelibus relinquat jurandi super S. Scripturam ab Ecclesia catholica receptam. Quoadusque autem id a civili auctoritate non obtinuerint, prudenter taceant, si viderint, fideles super biblia haereticorum juramenta praestare, dummodo de licito juramento agatur. Interea doceant Sam C., an biblia haereticorum pro jurejurando exhibita sint substantialiter corrupta, an exhibeantur, ut a catholicis probentur etc.“

Quid igitur *in se* liceat, accuratius non statuit. Videor mihi tamen haec inde deducere posse:

1. Quando lex non absolute postulat juramentum, vel tale juramentum, ita ut in potestate cuiuslibet sit, tale juramentum declinare: certe rubor non sufficit neque excusat, quin in tali agendi modo agnosci debeat misera falsae religionis communicatio.

Ad II. 1. Deus implice invocatur in testem veritatis, si appellatur creature, in qua Dei attributum specialiter elucet, aut quae speciale relationem ad Deum habet, ut si quis jurat „per fidem catholicam, per crucem, per Evangelium, per sacramenta, per coelum, per animam (meam)“.

2. S. Ignat. in *libello exercitiorum* monet, potius hominum perfectiorum esse, admitti ad juramentum per creaturas, siquidem alii nominando creaturam parum ad reverentiam erga Deum moveantur.

3. Per creaturas autem jurare velle, sistendo in ipsis, est idolatria et blasphemia, eo quod ad ipsas tamquam ad *veritatem absolutam* appellatur, ac proin attributum vere divinum illis impie tribuitur: quae malitia committitur in juramento per falsos deos. At nisi juramentum intendatur, ejusmodi loquendi formula pro lusu potius et joco habetur, quam pro impietate. S. Thom. 3 d. 39 a. 1 ad ultim.

Ad III. 1. Quamquam juramentum principaliter ab intentione locutantis pendet, ita ut per eam verba ex se ambigua vera juramenta reddantur, imo ut, licet verba per se apta non sint, in dijudicandis peccatis *commissis* ipsa intentio prorsus respici debeat (cf. Wirthmüller I. c. § 43): nihilominus juvat expendere, quaenam locutiones in se objective sint juramenta, sc. ut 1) in dubio de intentione subjecti ex objectivo verborum sensu *prae*sumptio* hauriri debeat, qua judicetur, fueritne vere juramentum (maxime, si promissorium), annon; ut 2) si forte prava consuetudo est frequenter jurandi, hanc *emendandi obligatio* determinetur secundum objectivum verborum, quibus poenitens uti solet, sensum: nam si objective sunt juratoria, gravis erit obligatio ea non adhibendi sine veritate, contrariamque consuetudinem etiam indeliberatam extirpandi — confer tamen postea monitum ad IV, 7; — si verba in se aut ex circumstantiis non sunt juratoria, fortasse dedoceri debet poenitens, ne cum erronea conscientia gravius peccet.*

2. Dicere per fidem meam (fidelitatem — bei meiner Treue) non est jurare; neque: „per meam conscientiam“. — similiter juramentum non est „per fidem sacerdotalem, regalem, militarem“: quamquam ejusmodi promissio, quum *loco* juramenti exigatur, omnino seria est et plerumque sub gravi obligat. Imo in sola tali assertione mendacium non raro in sacerdote gravis scandali rationem habet. Cf. S. Alph. n. 134.

3. „Juro, per juramentum meum“ per se non sufficit ad constituendum

2. Si haec, quae offertur, bibliorum editio haereticorum menda vel errores seu depravationes contineat, non licet *sine protestatione* in ea juramentum emittere; imo aliqua declaratio videtur semper necessaria esse. Scilicet:

3. Si sine gravi detimento ejusmodi juramentum sub hac forma evitari nequit, neque tamen in odium fidei biblia protestantica exhibentur: videtur cum publica protestatione, qua vir catholicus declarat, se eatenus in haec biblia juramentum emittere, quatenus contineant verbum Dei a sua et... i Ecclesia sibi exhibitum, id licere, maxime si versio vel editio *substantialiter* corrupta non sit; si autem corruptiones quaedam inesse scientur, addatur altera clausula a jurante, sc. se in hunc librum emittere juramentum, seu potius in eas illius partes, quae cum suae Ecclesiae fide concordent.

verum juramentum — deest enim quaevis Dei invocatio —, nisi expressa interrogatio de juramento praecesserit. S. Alph. n. 136.

4. Dicere: ,Deus novit, coram Deo loquor, vivit Deus' (so wahr Gott lebt) sunt juramenta, si verba illa sensu contestationis seu invocativo dicuntur; quod plerumque fit; non sunt, si solum enuntiative. S. Alph. n. 134.

5. Dicere ,tam verum est, quam verum est, me hic stare, Deum exsistere etc. objective juramentum non est: aut ,est verum sicut Evangelium'; neque consueverunt sensu blasphemio haeretico dici, quasi loquens velit *aequalitatem certitudinis sui dicti et dicti divini* edicere. — At illa comparatio cum *veritatibus fidei*, si mendacii confirmandi causa fit, a *blasphemia* non excusatur. Cf. S. Alph. ex Busenb. n. 137.

6. Dicere: ,spondeo caput meum, vitam meam, nisi verum sit; habear pro haeretico etc., non est juramentum: ib. n. 134 et 143.

7. ,Deus me puniat, me damnet . . . objective apta sunt, et communiter sumuntur pro *juramento exsecratorio*: ib. n. 143.

Dicere: ,moriar, peste afficiar, diabolus me rapiat', potest esse juramentum exsecratorium, potest juramentum abesse, prout sc. intentio loquentis ad Deum divinamque providentiam vel permissionem dirigatur, per quam sibi imprecatur malum, aut haec intentio absit.

8. Jurare sine animo sese obligandi (in promissione) non est verum juramentum, est ad *summum juramentum fictum*, quia intentio loquentis excludit aliquod *essentiale elementum*; cum animo sese obligandi, at sine animo implendi *jurare*, juramentum re ipsa est, scilicet perjurium.<sup>409</sup>

9. Ficte igitur *juratur*, quando verba juratoria adhibentur vel a) cum voluntate non *jurandi*, vel b) cum voluntate (in promissione) non contrahendi obligationem. Quare fictum juramentum promissorium ut sic non valet. *Quod autem dicunt, eum qui sic juret, peccare venialiter tantum'*; id cum restrictione intelligi debet, sc. modo aut a) alioqui habeat intentionem implendi promissum, noluerit tamen obligationem ex religione assumere, aut b) ex circumstantiis de fictione constet (vel de justa causa restrictionis constare possit: quod si fit, omne peccatum abesse potest), ita ut locutio ista solum *vana usurpatio nominis Dei appareat*. Cf. Lugo de poenit. d. 16 n. 211; etiam Wirthmüller § 43, qui tamen minus recte sine *ulla distinctione* juramentum fictum *peccati mortalis* damnat; S. Alph. H. A. tract. 5 n. 17. — Alias enim committitur abusus divini nominis ad promovendam et confirmandam aliorum deceptionem: quae *inuria erga Deum* est sane non *levis, sed mortal*is.

Ad IV. 1. *Juramentum* debitibus conditionibus factum actus religionis est, nam est *professio Dei* ut summae veritatis et ut omnia perscrutantis, quo *tamquam* teste in medium adducto omnis contestatio finiatur. S. Thom. I. c. a. 4, Gr. de Valent. in II. II. d. 6 q. 7 p. 1. In promissorio *juramento* insuper aliqua religionis obligatio, de qua infra, ad *Dei honorem* assumitur.

2. Inde jam patet, requiri in jurante veram erga Deum reverentiam, atque rem alicujus *momenti*, ut Deus tamquam testis inducatur: alias

irreverentia et temeritas committitur: quae tamen veniale peccatum non excedit — est nimurum vana Dei nominis usurpatio — nisi inducat periculum pejerandi. Hoc de *defectu judicii*.

3. Jam de *defectu veritatis* plura notari debent. Ille defectus<sup>411</sup> jurandi *contra mentem* seu cum mendacio semper mortalis est, neque parvitatem materiae admittit, quum gravissima sit *injuria*, Deum pro teste mendacii adducere. — Idque valet etiam in quovis juramento promissorio, etsi in re leví, si *adest voluntas non implendi*, aut si res promissa a jurante habetur pro *impossibili impletu*; aliter, si *judicat*, probabiliter se *implere posse*.

4. Verum, ne severius id accipiatur, dicendum est, non in sola simplici assertione, sed etiam in jurata affirmatione a mendacio excusare possum restrictionem mentalem, tum cognitionis certitudinem quandam moralē, licet non evidentem: utrumque tamen explicandum est.

5. Nimurum quod ad certitudinem rei pertinet, in *judicio* quando testimonium dicendum est de rei scientia, nullatenus sufficit cognitio ex aliorum relatione, neque ex hac sola aliquis sine *perjurio* jurare potest, se rem *scire*, sed solum se haec *audivisse*: quia talis est prorsus intentio interrogantis. Cf. Gousset I. n. 473, Scavini (ed. 9) t. 2 n. 277. In aliis autem circumstantiis, ubi tam severa distinctio non fit, sufficit secundum S. Alph. n. 148, Tamb. I. 3 (*in decal.*) cap. 2 § 1 aliosque ib. ,probabilitas, quae ad *quandam moralem certitudinem* pertingit<sup>4</sup>.

NB. Recte vero notat Tamb., non omnem eam probabilitatem, quae in communī assertione a mendacio excusat, excusare in juramento. Exemplo rem declarat: Si scis, pium aliquem sacerdotem consuevisse quotidie celebrare, potes sine reatu mendacii dicere, eum hodie celebrazione, etsi nihil positive scis de *hodierna celebratione*, ex sola *præsumptione*; juramento id affirmare non potes. Sie etiam intellige Wirthmüller § 43, 13 et Bouquillon *theol. spec.* t. 1 n. 532.

6. Ad restrictionem quod attinet: perjurium quidem est, 1) *qua-cunque* restrictione uti, quando interrogans jus habet ad nudam et plenam veritatem, aut 2) uti quandocunque restrictione *pure mentali*; peccatum veniale est<sup>1</sup>, in aliis circumstantiis sine causa satis justa seu levius, vel jocandi causa uti restrictione non *pure mentali* *citra damnum* (grave) alterius; nullum peccatum est, ea uti ex justa causa alicujus ponderis, idque etiam coram judice non legitime interrogante. Cf. S. Alph. n. 151 et n. 170. Plura vide tum in explicatione praec. VIII decal.; tum in *oblig. rei, testis etc.*

7. Jurare promiscue non attendendo, utrum res vera sit an falsa, est sine dubio consuetudo ex objecto mortaliter peccaminosa: monet nihilominus S. Alph. n. 150, homines rudes *gravitatem* talis peccati saepe non attendere; atque prudentiae confessarii tum esse, potius non expresse monere de *gravitate* peccati eos, quos viderit non facile sese emendaturos, sed eos cum seria et forti admonitione extirpandi hanc

<sup>1</sup> Haec prorsus notanda esse duxi, maxime quum recentiores scriptores illitum quidem esse dicant, sine justa causa uti restrictione in juramento, at distinguere omittant, quando moraliter, quando venialiter sit illicitum. Cf. Wirthmüller I. c. § 43, 13; Linsenmann *Moraltheol.* § 131.

pravam consuetudinem dimittendos esse, ne ex materiali peccato fiat formale.

<sup>412</sup> 8. *Defectus justitiae* sive honestatis — sumitur enim h̄c justitia pro qualibet honestate — multiplex occurrere potest atque diversus.

Atque primo quidem in juramento *ut assertorio*. Non igitur defectus justitiae est ex eo, quod *res asserta* sit injusta, sed ex eo, quod *rei assertio* seu actus asserendi injustus sit. Idque grave peccatum contra religionem est novae malitiae superadditae, si quis juramento utitur ad peccaminosam illam actionem promovendam, efficacitatem redendum; quia divina auctoritate abutitur, ad promovendum finem mortali malum, v. g. non solum, quando aliquis calumniam juramento confirmarit (quod jam ratione mendacii *semper* grave peccatum perjerandi est), sed etiam quando detractionem veritate nixam, sed graviter peccaminosam, juramento confirmat et promovet.

At si actus juramento *confirmatus* in se venialiter solum malus est, neque veritas deest, censetur malitia contra religionem solum venialis.

Imo si actio in se graviter quidem mala est, juramento autem non promovet finem graviter malum, ut si quis jactando se de peccato gravi juramento adjungit: haec irreverentia Suarezio l. c. c. 12 n. 8 aliisque cum S. Alph. n. 146 non ita gravis videtur, ut novam mortalem malitiam addat, utpote quae non proprie promoveat jactantiam; aliis videtur mortalis sacrilegii malitia addi. V. Tamb. l. c. cap. 1 § 4 n. 6.

<sup>413</sup> 9. In promissorio juramento si quis promittit actionem peccaminosam: quando quod promittitur graviter peccaminosum est, gravem etiam per juramento Deo injuriam irrogari, nemo in dubium vocat. S. Alph. l. c.

Si promissa res est venialiter mala, major difficultas est, affirmantibus aliis, aliis negantibus, esse gravem injuriam. S. Alph. n. 146, 5 affirmat.

Ut dicam quid sentiam, utriusque sententiae aliquid dandum est. Videlicet si quis rem *ut malam* considerat atque tentat quasi honori Dei causa obligationem ad eam perpetrandam ex motivo religionis assumere, non video quomodo a gravi irreverentia seu potius blasphemia excusetur. At *ita procedere* etiam in juramento *contra consilia evangelica*, quo quis juret, se religiosum ordinem non esse ingressurum, gravis est injuria, quum contemptum quendam consiliorum et contemptum Dei contineat.

Nihilominus S. Alph<sup>us</sup> juramentum contra consilia evangelica factum tacite concedit peccatum esse ex se tantum veniale n. 146, 6; idque *practice* plerumque obtinet, quia, secluso contemptu, jurans solum vult affirmare, se sic et sic animo constitutum esse, non autem vult obligationem religionis contrahere omissendi consilia: quare malitia hujus juramenti potius oritur ex defectu *judicii*. Idem igitur dici saepe potest, si quis jurat se factum esse hoc et illud, quod venialiter peccaminosum est. Maxime autem

tunc id in praxi dici debet, si jurans ad actionis, quam promittit, peccaminositatem minus attendit, ut si est actio vana, inutilis, otiosa; nam quis dixerit homines sic jurando practice graviter peccare? quod tamen dici necesse esset, si *universim* verum esset, juramentum promissorium de re venialiter mala esse peccatum mortale. Rationes vide apud Suarez l. c. c. 19 n. 3—8.

## § 2.

### De obligatione juramenti promissorii.

I. Juramentum promissorium qua juramentum est actus accessorius, qui ex se supponit alium actum naturā priorem, vid. aut promissionem late sumptam, quae ad alterum ut obligatoria non dirigitur, sed solum constantiam loquentis et fidelitatem in *proposito* dicit, aut promissionem stricte dictam, quae ex se obligationem erga alterum parit, sive erga Deum, sive erga hominem. Cf. Suarez l. 2 c. 1 n. 14; Linsenmann *Moralth.* § 130; Müller l. c. § 60.

II. Obligatio, quae ex juramento promissorio formaliter qua juramento oritur, semper est in ordine ad Deum ejusque honorem, seu ex virtute religionis, quatenus Deus ut testis et quodammodo ut fidejussor inducit, quo firmius aliis persuadeatur, certam fore implectionem ejus, quod promissum est. Suarez l. 1 c. 9 n. 5, l. 2 c. 2. n. 1—3, praesertim l. 3 c. 16 n. 10—13.

III. Quando igitur promissio, in juramento supposita, stricta est, juramenti obligatio est accessoria, promissionis obligatio quodammodo principalis; quando promissio est latioris sensus, i. e. ex se non obligatoria, obligatio juramenti sola est proprie dicta obligatio. Cf. Wirthmüller l. c. § 44 (n. 19).

IV. Promissorium juramentum implendum est, quamdiu sine peccato impleri potest, modo agatur de re sub juramento ejusque obligatione vere comprehensa. S. Alph. n. 174.

V. Ut autem intelligatur, quid sub juramenti obligatione comprehendatur, videnda est tum intentio jurantis, tum natura actū, quem juramentum supponit; nam regula est communiter admissa: „*Juramentum sequitur naturam actū, super quem cadit*“. Elbel p. 3 n. 65 sqq., S. Alph. n. 180, Müller l. c. § 60 etc.

**Uberior explicatio.** Nota ad I. 1. Si promissio ad Deum dirigitur, <sup>415</sup> habetur votum juratum: quod si occurrit, consideranda sunt ea, quae postea de voto dicturi sumus.

2. Universim igitur actus, cui accedit juramentum, ex natura *sui* est aut a) propositum, aut b) gratuita, sed vera et stricta promissio, aut c) contractus alterius speciei, etiam onerosus.

Ad II. 1. Obligatio religionis ex juramento formaliter oriunda haec est, ne fides coram Deo ut teste summo et solemnē data frangatur. Quodsi enim injuria infertur humanis testibus, si fides coram illis data frangitur, etiam Deo injuria infertur laesa fide sic oppignorata.